

LIBELLUS DE LAUDIBUS DUARUM CIVITATUM ET SEDIUM EPISCOPALIIUM, WELLIÆ SILICET ET BATHONIÆ, PER THOMAM CHAUNDELER, CANCELLARIUM WELLENSEM, COLLECTUS.

---

EDITED BY REV. GEORGE WILLIAMS, B.D.

---

*Ad literatissimum præselem et dominum beneficentissimum dominum Thomam de Bekyntona Wellensem et Bathoniensem episcopum, in futuras laudes duarum civitatum et sedium suarum. Argumentum incipit.*

Scio nonnullos, Reverendissime pater, clarè satis intelligere, et quodammodo admirari solere, adeò te deditum studio ac dicendi ac lectitandi exercitio, in iis maximè quæ diligentèr accuratèque perscripta sunt, cujus eloquentia non minus tuâ religione cognita et probata est, ut in hac re nemo sit te felicior. Sacri igitur hujus tui propositi intentio eo commendatione dignior ac laudibus accumulatio censi debet, quo laudabiliori causâ suscepta videatur. Etenim quæ a prioribus tradita sunt instituta veritatis, tu, non modo ingenio sed doctrinâ, par aut longè felicior, sectaris ea tantum quæ virtutis sunt, at quæ secus fuerint penitè non admittis. Itaque cum hisce bonarum artium studiis apprimè eruditus sis, et hujuscemodi potissimè otiiis vaces quæ sunt etiam negotiis præferenda, opere pretium credidimus, in tuas laudes, urbium ac civitatum tuarum laudationes, Welliæ et Bathoniæ, sub nominibus Fontium ac Balneorum, coram tuâ paternitate introducere. Quas proponunt duo clarissimi ac ornatissimi viri, ac ipsi non

minori laude digni quam vigeant meritis, Andreas de Fontibus et Petrus de Balneis, invicem contententes ac de præeminentiâ et præsidentiâ earundem civitatum tuarum disceptantes; uterque cum literis et pulcherrimis donariis a suis urbibus tuæ magnificentiæ offerendis; inter quos lis et controversia gravis orta est, quæ ex illis tuis civitatibus antedictis aspectui tuo dignior judicanda sit, quæ amplexibus acceptior, et quis eorundem locus tuis sedibus ac pontificio sit aptior, tuisque honoribus congruentior. Quorum laudationes et orationes cum audieris, non tam dicendi ornatum, qui uberrimus illis adest, quam sententiarum vim ac diligentiam admiraberis. Mira equidem illa res est eloquentia, et eam paucorum ingenia ut debuit hucusque assequi potuere. Quamobrem nonnullos et graves et doctos viros scimus, qui cum parem rebus de quibus verba facturi sint eloquentiam præstare nequeant, studio tamen ac voluntate ducti, ea dicant ex quibus aliquando laudem et aliquando reprehensionem sunt consequuti. Moderanda igitur voluntas est, et cohibendus animus, ipsisque voluptatibus fræna injicienda sunt, nec solum quid possint homines, sed quid debeant cogitandum; et ita mortales suarum rerum pulchritudo delectet, ut nihil dignum in earum comparatione vilescat. Tam luculenter enim et ornatè proponent hi duo viri quis eorum tuum animum ad partem suam flectere atque allicere queat, ut nisi penitè attende- ris facile adduci possis ut credas vera esse quæ ab eisdem referentur: Sed demum rationibus partium auditis, ad pacis unitatem reduci sententiabitur; ac, demptis quæ circa fontes eorundem sunt contraria varietatibus, in quibus tam differunt, calido silicet et frigido, cum utriusque fontes sint, ac remanere nomen fontium utriusque commune, ac uno sic te patre ac præsule sicut uno nomine congaudere. Ac tu interim gaude, Revendissime pater.

*Explicit Argumentum. Incipit libellus de laudibus duarum Civitatum, Welliæ silicet ac Bathoniæ, sediumque Episcopatum in eisdem. Et primo Andreas de Fontibus domino Episcopo suo dicit :*

Claræ virtutis ac multæ prudentiæ pater, cujus fama et gloria per universum pæne orbem peculiari quadam laude prædicantur, tua humilis et devota oratrix, urbis Fontium communitas, tuæ sublimitati cum omnimodâ subjectione congratulationes tuis honoribus dignas ac infinitas gratiarum copias agit ; tuis atque victoriam de adversariis, concordiam cum amicis, et pacem cum tuis confirmari desiderat ; transmittitque tuæ sublimitati, Reverendissime Pater, has literas et munera cum reverentiâ et commendatione debitis prout decet.

*Tenor literarum ab civitate Fontium incolis transmissarum suo Pontifici est qui sequitur.*

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Thomæ, permissione divinâ Wellensi Episcopo suæ paternitatis humillima oratrix, communitas civium ac incolarum urbis Fontium, obedientiam ac honores debitos tanto patri. Citra quam ad nostras pervenerit aures, sanctissime pater, pontificali te esse diademate insignitum, ac pastoralis sedis arcem adeptum, tanta sumus intus jocunditate et gaudio perfusi, quod omninò verba exultationis ac lætitiæ continere non possumus. Nihil profectò tanti nobis cordi est quam ut ubique terrarum doctissimi ac gloriosissimi viri ad pontificalis dignitatis apicem sublimentur. Tibi enim omnium virtutum genere clarissimo, vitâ quoque ac moribus spectatissimo, et jam pontificali mitrâ decorato, non ab re sed merito ac justissimè congaudere ac congratulari possumus. Sed ne paternitatem tuam, quam tot virtutum dotes pæne in cœlum effèrunt, in vilem humilemque sedendi locum delabi patiamur, inter nos quæsumus, qui omnium tuarum

civitatum et urbium florem gerimus, sedibus tuis aptissimum ac saluberrimum tuisque honoribus dignum, locum eligere, ac integre nobis tuum animum quietem et otium summe id affectantibus præstare non differas. Et ut ad tam gratissimum opus serenitatem tuam fortius animemus, duo totius mundi pulcherrima jocalia ad te transmittimus: candelabrum silicet aureum septiforme, secundum exemplar quod Moysi in monte monstratum est, per manus Beseleel Hebrei artificiosè fabricatum; phiolam insuper nostrorum fontium aquæ vitæ similis cum oleo naturæ, ut ignibus fomentum præstet; quam ideo, tibi transmitti statuimus ut tuæ erga nos caritatis ignis incalescat, ac indies augmentetur. Et si quæ aliæ apud nos quas tua claritas concupiscat res fuerint, tuis quidem votis ac desideriis promptissimas semper invenies. Et valeat feliciter tua paternitas in magnam ætatem, Reverendissime in Christo pater. Scriptum in clarissimorum Fontium medio, Mensis Decembris die xxiii°.

*Finit Epistola domino Pontifici transmissa cum aureo candelabro et phialis aquæ vitæ.*

*Petrus de Balneis ab urbe Bathoniæ episcopo suo reverendissimo Epistolam affert; primo tamen honeste suæ legationis causam aperiens.*

*Petrus:* Clarissime ac doctissime pater, quamquam in sancto ac beato otio reliquos qui supersunt dies ducere studuissem, rumor tamen ac fragor popularis, qui alis tam pervicibus continue volitat, canitiem ac gravitatem meam quam plenæ quieti consecrare disposui, ab hoc otio mentis detraxit, et per tam mihi longos viarum tractus huc tuæ reverentiæ tandem adduxit. Aiunt enim, ac verum est, cruentissimum quendam ac sævissimum nostris incolis de Balneis hostem, Andream de Fontibus, infrunita facie intra palatium tuum ac usque ad conspectum celsitudinis tuæ in-

trepidè accessisse, et viperino more in tantum malitiam suam effudisse, ut a nostrâ clarissimâ ac ornatissimâ civitate de Balneis pristinos eidem debitos honores ac pontificii sedem ad suam ineptam et campestram villulam de Fontibus transferre, atque animum tuum, dignissime præsul, allicere sataget. Quamobrem ab sacrâ illa divinâ ac toti orbi famosissimâ Balnearum urbe splendidissimoque senatu, licet immeriti, legati fungentes officio, tuæ magnitudini, reverendissime pater, hos præclarissimos apices cum donariis humillime præsentamus.

*Tenor Epistolæ est qui sequitur.*

Nobis, Reverendissime in Christo pater, vita hominum inter tempora raptim currentia semper tendente ad vesperam, animus ac propositum fuerat, reliquam vitæ nostræ partem in pace et otio ducere; fœdera quoque pacis ac concordiæ cum omnibus totius orbis communitatibus in priore nostrâ ætate, dum calens ac fremens tempus nobis infuit, jurata et inita, illibatâ semper atque incontaminatâ fide servare: sed longè secus quam sperabamus accidisse, famâ ad aures nostras volitante, nobis intelligi datum est. Aiunt enim communitatem urbis Fontium, si tanto saltem nomine vocari mereatur, pacem hanc nostram turbare nequissimis machinationibus ac fictionibus suis velle; et ob hanc rem ad te patrem optimum ambaxiatores donariaque misisse, ut nobis debitum cathedræ pontificalis honorem, at tuum quam maxime amorem ac animum auferre, atque in suam partem allicere ac flectere valeant. Sed, O gloriosissime præsul, hoc tantummodo priscum ac vetus est odium, quo Fontani homines in nos nostrarumque Balnearum incolas capitali semper inimicitia exarserunt. Hoc quidem gravissimè necnon odiosissimè ferunt nos a plurimis jam diebus eorum adeptos dominium ac honores. Noli, igitur, noli, præstantissime pater, vel eorum pollicitis aut muneribus flecti.

Reduc, obsecramus, ad memoriam claram nostri generis vetustatem, et quod a stirpe Regiâ originem traxerimus; nec sic te falsæ preces ac munera circumveniant, ut pacem ac concordiam inter te nobilissimum præsullem ac tuos nos dissolvant; sed partire nobis cor integrumque amorem tuum. At ne vacuis ad te scripsisse manibus, et sermone plusquam opere tuum nobis animum adoptasse videamur, mirram aloes, cæteraque illius naturæ aromata ac timamata sublimitati tuæ transmittimus, quæ corpus tuum a corruptione infectoque ac pestilente aere fumigata semper custodiant. Et tua in ævum accrescat majestas, reverentissime in Christo pater. Scriptum apud Balneas septimo K<sup>1</sup>. Januarias.

*Finit Epistola domino Pontifici ab urbe Bathoniæ transmissa cum pane de granis paradisi et mirra aloes. Ægre ferens Andreas Petri legationem, contra eum mordaciter dicit.*

*Andreas*: Scio, Petre, scio omnium te virorum pessimum, tantâ adversum nos malitiâ calentem, tantâ malignitate efferbuisse, ut nos omnesque nostrorum Fontium incolas canino dente non unquam mordere cesses. Miror te hominem prudentem, tanto senio constitutum, canos tuos in hanc miseriam deduxisse, ut declinantem vitam tuam jam sero iracundiæ ac invidiæ veneno apocupare, ac te ipsum intoxicare, et statum tibi terminare nitaris. Meum quidem est clarissimam Fontium urbem, et ipsum quam maxime templum, et cultores ejusdem, sic verbis ut operibus in omnibus defendere ac tueri. Quamobrem si quicquam adversum me crapulosus spiritus tuus eructare voluerit, ut id mox in horum præsentia fiat exopto. Ego te omnino non timeo.

*Petrus ut dirimat lis, sub æquo Judice optat contendere.*

*Petrus*: Admiror sanè te, Andrea, illam mihi tuæ invidiæ notulam obicere, ac in me retorquere velle, qua te et tuam

naturam semper fuisse infectam omnium ora testantur. Frequenter nos hanc litis ac controversiæ materiam iniisse peroptimè credo retines ; cui ut aliquando finem necesse est ponamus ; neque tu meis, nec ego tuis rationibus flecti volo ; contendamus ergo sub optimo Judice, qui interrogatâ causâ, et plene examinatâ, auditisque rationibus, inter nos discernere queat, a cujus sententia appellare non liceat.

*Andreas in Judicem Danielem assentit.*

*Andreas* : Si tantum, Petre, de senili tuo versuto ingenio confidas, ut sub æquo iudice contendere velis, habes hic nobilissimum et clarissimum virum Danielem, apud quem, si quicquam adversum me habueris, causam profer : In fastu et pompa verborum victor esse speras ; sed ego ampullosa verba tua non metuo.

*Petrus æque suum in eundem Judicem assensum præstat.*

*Petrus* : Nec ego te, sapientissime Daniel, Judicem recuso ; de hoc certus, quod tu, hominum justissime, in cujus pectore divinorum iudiciorum thesauri reconditi sunt, et propterea Hebreo nomine Judicium Dei, appelleris, si positiones et orationes nostras æqua lance libnaveris, cum triumpho tuo iudicio recedam.

*Annuit Daniel Judex, diem partibus præfigens.*

*Daniel* : Nobis quidem, clarissimi et doctissimi viri, quibus ex vestrûm utriusque consensu hanc totius controversiæ materiam et litem dirimendam obtulistis, quam gratum ac acceptum erit vos ad unitatem et pacem reducere, et ob id solummodò in manus nostras causam libentius accepisse cognoscite. Terminum igitur quo proponere ac respondere debeatis præfigere nostrum est, quem IIII° kl. Januarii volumus inexcusabiliter observari : hic nos paratos habebitis. Vos interim gaudete ac plaudite.

*Adveniente præfixo die, jubet Daniel oratores dicere ; primo Andream.*

*Daniel*: Nuper, carissimi viri, inter acutissimos et ingeniosissimos oratores, Andream de Fontibus ac Petrum de Balneis, de præ eminentia ac præ sidentia civitatum suarum, Fontium silicet ac Balnearum, lis atque controversia orta est; quæ ex illis conspectui sui Antistitis gratior ac placentior, suisque honoribus sedes aptior sit. Hodiernus dies tractandi et proponendi ex consensu partium statutus est. Assunt utrique ac quid velint animadvertite. Priùs tu, optime Andrea, pro tuâ parte loquaris.

*Oratio Andree pro urbe Fontium.*

Vellem mihi a Deo immortalis datum esset ut vel præclaræ Fontium urbi de qua dicturus sum parem eloquentiam præstare possem, vel certe meo erga illam studio meæque voluntati. Voluntas equidem mea, ut ego de meipso facile intelligo, nulla in re unquam fuit ardentior. Sed quia non omnia quæ volumus eadem nobis ac posse concessum est, quantum poterimus id in medium afferemus; ut non voluntas nobis, sed facultas potius, videatur defuisse. Et ipse satisfacisse mihi videbor, si quantum studio, disciplina, exercitatione dicendi, multis denique vigiliis assequutus sum, id omne in laudandâ hac urbe potissimum conferam. Quod igitur plerisque oratoribus dictum est, nescire se unde initium dicendi sumant, id profectò nunc mihi evenire, non verbis, quemadmodum illis, sed re ipsâ intelligo. Non solum, enim, quia multæ sunt res ac variæ inter se ultro citroque connexæ, verum quia ita præclaræ omnes, ac quodammodo egregiæ sunt, ut inter seipsas de excellentiâ certare videantur, nec facilis sit deliberatio quænam in dicendo sit anteponenda: sive enim pulchritudinem ac nitorem urbis intueare, nihil dignius videri potest; sive potentiam aut opes, illud omnino censebis præferendum. Ac si res gestas vel in nostrâ ætate vel in superiori tempore contempleris, nihil tanti videri potest ut illis anteponatur. Cum verò mores



institutaque consideres, nihil omninò arbitraris præstantius. Hæc me dubium tenent, sæpèque de altero dicere parantem alterius recordatio ad se revocat, nec deliberandi permittunt facultatem. Ego tamen undè aptissimum putabo, inde initium dicendi sumam, quod quidem credo etiam æmulos non esse improbaturus. Ut enim nonnullos filios videmus tantam habere cum parentibus similitudinem, ut in ipso aspectu manifestissimè cognoscantur; ita huic nobilissimæ atque inclitæ urbi Fontium tanta cum suis civibus convenientia est, ut eos neque alibi quam in illa habitasse, nec ipsam alios quam hujusmodi habitatores habuisse, summa ratione factum videatur. Nam quemadmodum ipsi cives naturali quodam ingenio, prudentia, eloquentia, et magnificentia, ceteris hominibus plurimum præstant, sic et urbs prudentissimè sita ceteras omnes urbes splendore, ornatu, ac munditia superat. Neque enim jactantèr summis in montibus collocata est, ut inde se præclarè ostentare posset, nec rursus in latissimo camporum æquore. Non enim in summis montibus habitare licet sine adversa cœli intemperie, sine ventis, sine procellis, sine summa habitatorum incommoditate atque molestia. Nec rursus in immensâ vastâque planitie absque humiditate soli, absque impuritate aeris, absque caligine nebularum. Has igitur incommoditates fugiens hæc nostra civitas eo in loco posita est, ut, quod in omni re probatur maxime, medium sit inter extrema sortita, et procul ab iniquitate montis ac fastidio planitie remoti. Sic tamen utrumque complectitur, ut neutrius utilitatis sit expers, et mirâ cœli suavitate fruatur. Objecti enim ad orientem et septentrionem montes, quasi propugnacula quædam urbis, ingentem vim frigoris et furentes impetus repellunt, Ad austrum verò, cujus vis minor est, humiliores muniunt colles; ad occidentalem autem partem apertissimi se explicant campi. Itaque

plurima in his locis tranquillitas est, summaque temperies : a quibus cum discedis, quocumque progrediaris, aut te frigora majora excipiant, aut solis ardores. Quid dicam de frequentia populi? de gloriosissimo atque ornatissimo templo immortalis Dei Apostoli Andreae? de sacri palatii ac ceterorum ædificiorum splendore? omnia conspicua sunt ac egregiâ pulchritudine ornata. Sed ea melius ex comparatione aliarum quam ex seipsis licet cognoscere. Nulla denique est aliarum cui non aliquid maximarum rerum desit; quoniam hæc populo caret; illa ædificiorum ornatu; alia est ita immunda, ut, quicquid sordis noctu factum est, id mane ponat ante oculos hominum, et pedibus per vias calcandum subiciat: quemadmodum, Petre, in illa tua fœtidâ ac sulphureâ villâ de Balneis, quâ re nihil fœdus excogitari potest; ubi si mille essent regiæ, si inexhaustæ divitiæ, si infinita populi multitudo, contemnam tamen fœtidissimam urbem illam, nec ullius unquam existimabo. Cui autem urbi pulchritudo deest, summum maximumque ornamentum deesse quis non videt? Hanc vero nostram Fontium civitatem usque adeo mundam atque abstersam cernimus, ut nusquam aliquid reperiatur nitidius, nihil in ea fœdum oculis, nihil tetrum naribus, nihil pedibus sordidum offendas. Summâ diligentiam habitatorum cuncta ejusmodi cauta ac provisa sunt, ut omni turpitudine procul semotâ, ea tantum incurras quæ lætitiâ ac jocunditatem sensibus queant afferre. Quippe nos ipsos, qui eam habitamus, cotidie hæc habet admiratio, nec consuetudine satiari possumus. Quod si quis est qui propterea deesse aliquid bonorum huic urbi arbitretur quod maritima non sit, is meo judicio longissimè errat, et quod laudare debet id in vitium vertit. Est enim maris vicinia vendendis comparandisque rebus forsitan utilis; ceterum salsa atque amara nimis. Permulta sunt, quippe incommoda, quibus maritimæ

urbes obnoxixæ sunt, permulta pericula quibus subjacere habent necesse. Plato Atheniensis, omnium philosophorum longissime princeps, cum civitatem quæ benè ac beatè viveret in suis libris institueret, tam quæ adesse, quæve abesse oporteret diligentissime perquireret, in primis quidem censuit, ut procul a mari esset remota. Nec putavit sapientissimus vir eam urbem modo beatam posse esse, quæ aut in littore posita foret, aut maris fluctibus esset propinqua. Quod si auctoritas minime illos movet qui fluctus ac littora tantopere amant, antiquitatis saltem commovebunt exempla. Lege Latinales; lege Græcas historias; ac in his animadvertite quam multi sunt casus, quam crebra excidia maritimarum urbium; quam multæ civitates, cum florerent opibus ac populis, a classe prius hostium fuerint captæ, quam quicquam tale potuerint suspicari. Ita tamen hæc civitas propinquo fruitur mari, ut puram ex illo capiat utilitatem, nullis adversis rebus perturbatam, nullisque calamitatibus immutatam: verum pulcherrimarum rerum affluentia et dives ac semper sponte se offerens. Ad dicendum materia impetu quodam et violentia hucusque me rapuit, nec ullam consistendi præbuit facultatem. In cetero enim splendore ac magnificentia hujus inclitæ urbis referendâ occupatus, quasi oblitus mei, de multitudine populi, de virorum copiâ, de virtute, industriâ, humanitate civium dicere pæne effugerat; quæ maxima ornamenta sunt, in primisque memorandâ. Cujusmodi igitur habitatores hujus urbis sint, breviter demonstrabitur. Nemo hic injuriam pati potest, nec quisquam rem suam nisi volens amittit. Parata semper judicia; parati magistratus; patet utraque curia; nec locus ullus est in terris in quo jus magis æquum sit omnibus. De honestate vitæ ac sanctimonia morum quis satis dignè possit referre? Maxima quidem in hac urbe ingenia sunt. Sive enim ad arma, sive

ad rem publicam gubernandam se conferent, sive ad studia aliqua, rerumve cognitiones, aut ad dicendum, sive ad mercaturas, in omni re omnique actione cunctos mortales longissimè anteeunt, nec ulli penitus genti cujusquam excessus locum relinquunt : patientes laborum, præsentis periculis, gloriæ avidi, pollentes concilio, eloquentes, liberales, magnifici, jocundi, affabiles, maximeque urbani. Animadvertat igitur nobilis ille suus Antistes nobilem locum, electus electum, suis sedibus studiosissimè ac diligentissimè præparatum, et hanc sibi sponsam tantis ac tot ornatam monilibus præeligat ; illam vero miseram de Balneis villulam, aut veriùs Babiloniam præ confusione, nec secus quam decet ac demeretur, in ancillam suis usibus deputet. Quis præsulum ac pontificum sedibus locus aptior, cum nihil omnino præterea sit quod ulla civitas possit optare ? Quid ergo causaris, misera Babilonia, invida ancilla, si cum ornatâ sponsâ, liberâ suâ virtute et auctoritate dignâ, contrahat dominus tuus ? Quo, putas, ornamento hæc civitas caret ? Aut quid sibi ad summam laudem atque amplitudinem deest ? Num gloria, quæ præclaras res tanta industria gesserit ? Num splendor ædificiorum ? Num ornatus ac divitiæ ? Num multitudo populi ac salubritas et amœnitas locorum ? Et jam quid superest nisi summum Numen pro his omnibus venerari ? Tu, ergo, Deus Omnipotens atque Immortalis, cujus delubra atque aras hic tuus populus religiosissimè colit ; Tuque, Andrea, sanctorum mitissime, quem sibi patronum hæc civitas adoptavit, cui ingens templum ex puro et nitidissimo marmore in eadem construitur, hanc pulcherrimam ac ornatissimam urbem populumque ejus ab omni clade ac malo ac summo opere ab hujus obtrectantis inimici latratibus custodite ac defendite in ævum. Amen.

*Laudat Daniel Orationem Andreæ pro Fontium urbe ; jubetque dicere Petrum pro sua.*

Clarè ac doctè satis, acutissime Andrea, et non secus quam ingeniosum decet perorasti. Quod tu pro tuis Balneis velis introducere, Petre, in lucem profer.

*Oratio Petri pro Balneis.*

Indignantè nimis tuli laudes tuas, Andrea, quas campes-  
tri et immunitæ villulæ de Fontibus tribuis plenas levitatis  
ac supinitatis. Ita loqueris contra præclaram urbem nostram  
de Balneis ac si neminem pro ea responsurum atque adeo  
neminem non assensurum tuis ineptiis putares. In quo libet  
videre tuam non modo levitatem, sed incredibilem de te ipso  
opinionem. At ipse quoque stilus tuus laxus est ac fluens,  
enervatus, ac gravitate ac ingenio carens. Sed hominem  
hunc levem mea gravitate castigabo, et somnolentum ac  
hebetem meo acumine ac pugione prosternam. Principio  
quidem, igitur, magnæ prudentiæ existimo ad laudandam  
inclitam urbem de Balneis, nihil ad ostentationem facere,  
nec periculosam, ut idem ait, jactantiam sequi. Æquum est  
enim pro patriâ ac pro veritate verba facientem assensum  
promereri. Unde igitur exordiar? an ut pictores solent?  
Sic equidem existimo. Id erit quam aptissimum dicendi ini-  
tium. Pictores itaque cum celeberrimas imagines effingere  
student, primum ideam quampiam excellentem ac venustam  
mente concipiunt. Deinde stilo manus applicant, ac prius  
verticem, ac, ut ita dicam, vultum, coloribus liniunt; subinde  
in reliqua membra distinguunt. Itidem nos cum præstantis-  
simam urbem describere velimus, ab ipso veluti capite  
sumemus exordium. Id autem quale erit? Puto equidem,  
si templum Apostolorum, ac incontaminatam religionem re-  
censerimus, quibus hi sanctissimi ac Deo immortalis dedica-  
tissimi viri legibus ac institutis regantur, quæ a patribus  
ac majoribus tradita sunt, haud parum interest. Non enim  
cultus et religio eorum ejuscemodi est ut quæ optima ac  
præcipua habeat universa ponat ante oculos hominum, ac

veluti sollicita quædam meretrix superficiem solum curare cupiat, et culta nimis in publicum prodire, quod in plerisque templis ac religionibus, et in illis maxime de Fontibus ex abundanti fieri videmus; ceterum ut diligentem, prudentemque virginem decet, oleum sibi reservare. Cui dignitas magis peculiare bonum sit, hæc leviora haud multi facit; introrsus autem majora quædam, et conscientiæ puritate digniora, Dei ac Apostolorum ipsorum obtutibus reservat fruenta: ex quo fit ut cum vultum, ac, si ita dicam, cultum illius religionis prospexeris, formosa nimis et decens fit, ceteraque præ illius venustate vilescunt. Sed in illâ vili et sordidâ villulâ de Fontibus secus atque longe se aliter habet; cujus incolas propter lautas et splendoras epulas, cantus, tripudia, saltus, choreas, quæ omnia ad voluptatem incitamenta sunt, impudicis sermonibus, stultitiis, ineptiis, et libidini deditos, ac turpitudini maxime laxatos esse, quis non facile judicet? quæ ubi reperiuntur, proculdubiò, si non promptius expellantur, ultimum eidem ruinam minantur. In nostrâ autem urbe nihil prorsus ipsâ voluptate, nihil hujusmodi spurcitiis execrabilius, ac auditui nihil horrendum magis. Si quis eam nosse cupit, accedat, urbem peragret, pertranseat; insistat, inquirat, ac contempletur. Et quid ego de situ loci dicam? nihil eo magnificentius aut ornatius. Inter hæc frondosi luci, florida prata, lætissimi rivi, nitidissimi fontes, ac, quod omnia superat, natura ipsa locorum ad lætitiâ nata. Videntur enim colles ipsi ridere quibus cingitur urbs, et quamdam a se diffundere jocunditatem, qua intuentes expleri non possunt, nec videndo satiari; ut universa circâ regio paradisi quædam recte haberi et nominari queat, cui nihil ad pulchritudinem vel ad lætitiâ in toto orbe sit par; sic virentibus pratis, sic profecto saluberrimis herbis hæc civitas undique septa est, ut nihil videri possit illustrius. Ad hanc videndam multi mortales famâ pulchritudinis, ac sani-

tatis gratiâ allecti conveniunt, atque adeo hujus urbis magnificentiam ornatum ac copiam intuentur, ut ceteras veluti famulas quasdam, hanc vero ceterarum dominam esse fatentur. Ipsam denique quantum suâ magnitudine occupat, speciosissima murorum sepit corona, et nisi intus inspiciatur, omnis ejus pulchritudo cognosci non potest. Non enim intra parietes minus ornamenti habet quam extra; nec una quam altera via decora aut nitida est, sed universæ totius urbis partes. Nam velut sanguis per universum corpus, sic ornamenta deliciæque per universam urbem diffusæ sunt. Quid de antiquitate et nobilitate generis ejus? Mihi quidem hæc omnia non mediocri laude videntur commendanda. Puto quoque multos ego mortales satis mirari, unde huic civitati tantæ opes, tanta denique omnium rerum facultas sit, quibus non dicam thesauris, sed auriferis est feta nimis, ex quibus pereximiam ipsius præstantiam ac potentiam licet agnoscere. Jam vero si aeris temperiem ac nitorem contempleris, facile adduci possis ut credas nec alibi purius cælum, nec splendidior sole aut astra magis fulgentia te vidisse. Adde his calidorum fontium perennes liquores ad usus mortalium splendidissime præparatos, quibus, ut inquit Solinus, præsidet Minerva, in cujus æde perpetui ignes numquam canescunt in favillas. Quid hac re mirabilius ac beatius, quâ omnium ægritudinum omne genus hominum, sic pauperes ut divites, medicamenta recipiunt? Et quid ultra progredi oportet? Verum ut ad incepta redeamus, satis arbitror ex iis quæ diximus persuasum esse, nec virorum claritate, nec rerum aut sitûs excellentiâ, nec opum nec facultatum copiâ, aut nobilitate conditorum, illam prius derelictam ac inanem villulam Fontium huic nostræ aliqua ex parte esse præponendam. Ille profectò pontificum sedibus fortunatior locus est urbis, ubi cultus ac religio devotior, ubi status reipublicæ felicior, ubi potentia et opulentia fuerit affluentior,

locus ac aer salubrior, ac ab hostium impugnationibus tutior; quæ profecto excellentissimæ dotes sunt, quibus urbem quamlibet patrum sedibus præparandum decorari atque exornari oportet. Ista sunt quæ in laudandâ ac extollendâ præstantissimâ urbe conferre debui: meum est profectò viribus omnibus rempublicam verbis defendere. Et omnes quibus pietas, religio ac caritas odio est hujusmodi res negligunt: qui vero boni, liberales, haberi volunt, non patientur aliarum laudes suæ urbi anteferri; quemadmodum ego non patiar.

*Finit Oratio Petri pro Balneis: quam ita impugnat Andreas.*

*Andreas:* Mirum tam varia sunt ingenia hominum! Equidem permulti fatui inveniuntur, apud quos optimæ rationes parum roboris sint habituræ. Aliis quidem enim odiosa ipsa per se ac molesta est veritas. Alii verò sive malignitate naturæ, sive ignorantia rerum, nihil verum esse volunt, nisi quod ipsis fuerit gratum. Is me vanitatis insimulat, ac nihil sinceri dixisse calumniatur. Ægre atque ægre fero, Petre, vitam castissimæ urbis a te monstro omni teterrimo impugnari; doleo quoque tanta mentis vertigine te oppressum, ut auderes tuæ vitæ labem alteri obicere, ac ea refricare auribus audientium, quæ ne inquinatissimi quidem moribus sine summo dedecore possent exprimere; quæ tu, novus morum censor, in maledicendi consuetudine introducis. Nonne erubuisti honestatis ac pudicitiae? Nonne inquam, licet sis pallidus, vel paululum rubore perfusus es, cum ea a te prolata plena dedecoris sint, tuæ turpissimæ vitæ, tuæ exulceratæ mentis testimonia certissima? Tu nisi esses spurcissimus omnium quos nostra ætas tulit, nunquam profectò te in cno vilissimorum verborum tamquam immundus libens volutasses. At id omne recidet in illam faciem tuam impudicam. Existimasti, opinor, hujus ætatis pestis ne-



faria tibi laudi fore, si urbem optimam et integerrimam in laudandâ tuâ, probro ac spurcissimo stilo insectareris ; promisisti etenim ab initio orationis tuæ te pictoris morem observaturum ; ac verum quia sordidum pinxisti leonem. Sed non metuimus picturas tuas ; non enim homines leones, etiam cruentissimas bestias, pictas metuere solent, sed horrere. Impudicitiiis tuis nolo tecum contendere ; sed unum est ; vide tibi ne quies ac otium tuum quæ sunt pessimaram rerum alimenta, tibi ad libidinem ac voluptatem incitamenta sint. Tria sunt in oratione tuâ, quibus tutus ac victor esse speras : primum quod urbem tuam speciosissima, ut asseris, murorum sepiet corona ; et rectè id in tuam laudem assumis, quod potius in vituperium sonat. Sic etenim sepiet eam murorum series ut præ eorum altitudine in vicinissimas partes fama atque virtus ejus vix evolare queant. Sed veritate fruamur. Ideo muri vobis dati sunt quod bestiales ac inurbani maximè sitis ; ac quemadmodum oves in caulis, aut asini in stabulis, sic serviles omnes interclusi estis, ac cæno et luto vestro vivitis, ut in aere aves, aut pisces in aqua ; et totiens erubescere debitis quotiens sepem illam intuemini, cum recolere per id valeatis interclusionis ac incarcerationis vestræ, et pristinæ servitutis. Ac quomodo claritate ac subtilitate ingenii pollentes fueritis, id ipsum demonstrat, quod ad publica universitatum aut studiorum loca nec unusquisquam penitùs ex vobis repertus sit. Quod ultra tuam civitatem nostræ ideo anteponendam contendis, quia vetustate gaudeat ; ac ego id tibi obicio, et ideo meam tuæ præponendam esse quod prius apud urbem Fontium quam plures sederint pontifices, quam in tua de Balneis ; quorum post Danielem, primum nostræ sedis Antistitem, qui et cathedram de villa Congari illuc transtulit, fuerunt numero ferme viginti. Et cum demum post multa tempora successisset Johannes quidam, natione Turonicus, et pro-

fessione medicus, hic, minorem gloriam putans si in unâ tantum urbe resideret inglorius, thronum sibi duplicari multis precibus ac muneribus adeptus est. Nec eâ gloriâ contentus suæ etiam avaritiæ satisfacere volens, eandem ab Henrico Rege quingentis, ut reperi, libris argenti mercatus est urbem. Hac denique occasione avaritiæ ac inanis gloriæ cathedra tibi delata est ; cum tamen prius melius ac salubrius collocata fuerit. Quod vero ultimo calidorum fontium tuorum perennes liquores ad ægritudines morbosque pellendos saluberrimos asseris, longe aliter est ; cum omnes insalubres ac foetidæ sint illic se lavantibus, ac odore sulfuris advenientibus graves, cum neque consuetudo sensûs horrorem compescere queat: nec mirum, cum natura sine gravibus suis querelis tantam injuriam vix patitur, ut quæ a forma intrinseca habeant ut sint frigidæ, sic a longissimis temporibus violentæ calescant aquæ. Sed id certissimum est, nullum violentum perpetuum ; et juxta Aristotelis regulam, omne violentum aut aliquando corrumpi, aut ad suam redire naturam. Ac sic quos tu perennes vocas, necesse est aliquando aut non esse, aut si permanent, frigidos esse, ac naturalem qualitatem sibi resumere. Et quemadmodum de tuis fontibus est, ut qui prius frigidi fuerint postea calefiant, et impossibile est sic permanere ; eo etiam modo honores ac gloriam tuam, quam tibi subdolè usurpaveras ac avaritiâ tuâ, necesse est aliquando aut corrumpi, aut demum ad nostros naturales fontes et pristinos retrocedere. Desine igitur, Petre, ac derelinque furorem tuum ; ac jam tandem rationi victum te submitte ; neque ultra pro illâ incomptâ ac vili ancillulâ verberes aera. Optimè scio retines quod dixi. Nemo se tuto diu periculis offerre tam crebris potest, quoniam quem sæpe pertransit casus aliquando invenit. Cur minas vultu geris, ac qualis animo es ? Num æterna semper odia mortales

agent? aut cœptus nunquam cedit ex animis furor? Velle reduci pacem, victori expedit. Victo necesse est submittere. Nobis contingit dexteram. Quid truci vultu siles? Sed vereor ne prius extinguet ortus referetque occasus diem; pax ante nivibus et flammis erit, quam voto acquiscere nostro velis. Quid ultra est? Una res superest mihi fratre ac parente carior, deliciis, ac regno. Favor iudicis quem accommodatum mihi ac ex populo communem gaudeo: quota enim pars astat, mecum est. Quid igitur super his velit tua sapientia, disertissime atque semper æquissime Daniel, libens expecto.

*Admiratur Daniel eloquentias oratorum, sententiatque præferendos esse Fontes, ac digne suum præsulem appellari debere Wellensem Pontificem.*

Admiranda nimis mehercule res est eloquentia. At si rectè judicare voluerimus, nihil in humanis rebus illâ præclarius esse aut utilius profitebimur. Cicero equidem, omnium Latinorum flos, non minùs verè quam elegantèr de ipsâ refert, cum illam rerum dominam appellet, quæ primum efficit ut et ea quæ ignoramus discere, ac ea quæ scimus alios docere possimus. Cum eadem coartamur, persuademus afflictos, consolamur perterritos, a timore deducimus, gestientes comprimimus, cupiditates iracundiasque restinguimus; ac per eam juris, legum, urbium societate conjungimur, cum nos ab inani et ferâ vitâ segregârit. Quæ nobis religionis percipiendæ spes, quæ ad virtutem quamlibet adhortatio, quæ via denique bene vivendi linqueretur, si doctorum hominum ac eloquentissimorum patrocinium nobis demeretur; quorum suavissimis verbis ornatâque facundiâ sic ad religionem plerumque excitamur, sic caritatis vinculis astringimur, ut terrena omnia præ illius venustate sordere videantur. Nec est quod quisquam a me Ciceronem solum aut veteres illos laudari putet, quorum profectò in oratione multa gravitas, multa suavitas, ac ad virtutem religionemque

mira est adhortatio. At vero si modò nostri temporis clarissimos et eloquentiæ studio deditissimos viros, Andream de Fontibus, ac Petrum de Balneis de medio auferas, quid est amplius quod non tenebris persimile videatur esse; ut si solem, ut aliquando futurum putant, é cælo Deus aut natura dejecerit. Quis enim tantam verborum sententiarumve tam clarissimorum virorum contradictionem, ac quasi vehementem impetum collisionemque quandam fluctuum, queat sustinere? Tam elegantè etenim in laudandis suis urbibus exorsi sunt, velut si quis Helenam illam formosissimam eximiis laudibus ornare cupiat; prius ne nobilitatem generis expediet, quæ Jove ac Leda genita sit; An pulchritudinem quæ a Venere præ omnibus formosior sit habita; An virtutem, quæ elegantè canere ac psallere docta fuerit: An ornatu corporis præstare contendat, quæ purpureis auratisque vestimentis uti assueverit: An leporem potius loquendi anteponat, quod ex ore narrantis suavitate quadam allecti penderent homines? Hæc, inquam, si quis in animo volutet, quid convenientius dictu sit ignorat ad eximiam pulchritudinem venustatemque ostendendam. Sic isti, cum optimas et pulcherrimas urbes laudare instituerint, omni virtutum genere claras, ac admiratione certe dignas contulere sententias. Itaque professioni suæ debitum crediderunt, ut quam ipsi in dicendo facultatem adepti sunt, in laudandis et extollendis præstantissimis civitatibus conferrent; ac veluti testimonium quoddam pietatis erga patriam, erga optimum ac beneficentissimum præsulem, exponerent. Quid enim minus dignum, aut quid a bonis moribus alienius est, quam cum ipse nec patriam tueri, nec rempublicam verbis defendere velis, non congratulari iis, qui communem causam susceperint? Omnes verò, ut tuipe, Petre, asseris, qui boni, qui liberales haberi voluerint, istiusmodi res faciunt; ac quibus pietas, religio, caritas odio est, eas res negligunt. Uterque vestrum certe laudandus,

ac præmiandus est uterque corona, uterque lauro dignus, gloriose enim utrinque perorastis, uterque pro parte suâ quam lucidissime proposuit. Et quomodo æqua lance rationes vestræ librandæ sint, et quomodo sententiari debeat, haud facile dici potest. Iste, profectò, Andreas proponit antiquitatem ac prioritatem sedis, ac civium humanitatem ac liberalitatem, templi decorem, ac cultorum ejusdem magnificentiam, ac quam saluberrimum loci situm : et Petrus e contrario suæ urbis ornatum ædificium, incontaminatam religionem, felicem rempublicam, et speciosissimâ murorum serie septam urbem ; fontes insuper calidos, miro splendore ad usus mortalium præparatos, ac situm jocundiorum ac gratiorum asserit : et quid superest nisi vehementer dolendum esse tam splendidas ac ornatas urbes, ac omni pæne virtute decoras, solâ illâ virtutum januâ et principissâ, Caritate, destitui ? sine quâ, etiam optima morum ac virtutum genera parum aut nihil conferre videntur : quod ex testimonio Sancti illius ac immortalis Deo cari doctoris nostrarum gentium Pauli Apostoli luculentius apparet, cum dicat idem : “ Si linguis hominum loquar ac angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens : ” et alibi “ Super omnia, autem hæc caritatem habentes, quæ est vinculum perfectionis. ” De hac itaque scribitur in sanctissimo illo Job : “ Posui vectem et ostia, et dixi, Hucusque venies, ac non procedes amplius ; hic confringes tumentes fluctus tuos. ” Quid hic per vectem nisi robur accipimus caritatis ? hanc itaque horum Fontium et Balnearum tumentes fluctus constringere necesse est. Facile autem omne virtutum bonum quibus ornatissimas urbes vestras prædicatis, destruitur, nisi ex intimis fixâ caritate solidetur. Quamquam enim Martha satagat circa frequens ministerium Domino exhibendum, nequaquam irasci debet Maria : Nec etiam si Maria sedens secus pedes Domini audiat ver-

bum Illius, non ideo Martha contristari debet. Utraque enim in templo Domini necessaria est; quæ ergo utriusque opera facit, hæc majoribus laudibus extollenda est. Si tui igitur, Petre, sancti ac Deo dedicatissimi viri sedeant et audiant cum Maria, neque ideo præparantem ac ministrantem Martham contemnendam reor; præsertim si Martha simul cum suo etiam officium Mariæ quam tutius assumat. Illam ergo de fontibus utramque vitam complectentem, activam scilicet ac contemplativam, primam et anteponendam esse censemus, ac discernimus; neque tua contemnenda est; utriusque enim sororis castellum intravit Summus ille Rex ac pontifex Jesus; utramque diligit; utramque amoris nexibus amplectitur; in utraque habitaculum Sibi eligere dignatus est; ac in utriusque corde sedit. Sic profectò tuus præsul ac pontifex ac utramque sororem diligit, utramque sibi desponsat, ac in utraque sedere dignatus est. Si ergo unus est vobis præsul, unus amator, ac unus sponsus, cujus totum amorem ac integrum cor adipisci, ac in suam partem flectere ac allicere quæque vestrarum urbium optet, pro qua re certatis et ipsas unum effici oportet. Omnem enim virtutem partitam ac dispersam necesse est adeo minorem ac remissiolem esse, quo non unita nec uni integrè accommodata sit. Unum igitur efficiamini, ut unum vobis cor, unum ac integrum amorem unus præsul accomodet. Neque enim diferunt inter se fontes naturales ac calidi in substantiâ fontium sed tantum in contrarietatibus accidentalibus, calido scilicet et frigido; quibus prorsus demptis accidentibus, remanebit substantia fontium eadem. Has igitur controversias, lites et contrarietates sic tollite, ac efficiamini unum. Considerate quantus sit unitatis appetitus in creaturis singulis, ut ex earum comparatione mentes vestræ ad unitatis appetitum amplius accendantur. Unde, precor, incisum digitum, aut quamquam corporis particulam, dolere sentis, nisi quia divisa est unitas continui-

tatis quam appetit? Elementa mundi contraria ac repugnantia, unde indissolubili concordia mundum componunt, nisi ex appetitu unitatis? Humores contrarii in corpore, unde servant temperamentum complexionis? Apes gregatim volant, regem sibi præficiunt: locusta regem non habet; tamen incedit unica per turmas. Unde hæc universa, nisi propter amorem unitatis, conglobant? Figura namque spherica super omnes alias maxime est unitiva; unde et gutta pluviae fluida in sphericam figuram se colligit ex unitatis appetitu. Cur etiam omnium, precor, philosophorum sententia sit binarium primum omnium numeroque imperfectum, sane nisi quia primo ab unitate recedit? Si igitur omnes creaturæ tanto unitatis appetitu teneantur, ut sine eo nihil fiat, quanto magis vos, qui ac habitu et omni nominatione vestram unitatem profitemini quemadmodum nomine uno Fontium censerî, ita unitate dilectionis ac caritatis vinculo astringi, debetis. Ille est enim caritatis ignis quem venit Dominus mittere in terram, non comburentem sed illuminantem, quem etiam partitus est Apostolis, dicens, "Luceat lux vestra in caritate quoad omnes," neque sibi soli lucere sub modio, sed super candelabrum; ut luceat omnibus qui in domo sunt, ac qui ingrediuntur lumen videant. Sic itaque luceat lux vestra, et ut omnes videamus, ac mutuae dilectionis ac concordiae signa et omnes simus testes. Contingite dexteras et hanc unitatis notam osculo signate, in æternumque invicem diligite ac vivite. AMEN.

*Finit sententia. Ad Insignem et literatissimum Præsulem dominum beneficentissimum, Dominum Thomam de Bekyntona Wellensem pontificem de laudibus duarum Civitatum et sedium suarum Libellus feliciter explicit. Et vivat in ævum ut sapiens iudex decrevit Wellensis Episcopus. Amen.*